

XII. Privilegia edificantium in via Alexandrina nuper in Urbe directa, a Castro Sancti Angeli ad Plateam S. Petri Principis Apostolorum.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. E T si universis Romanae Ecclesiae dominio temporali subiectis Civitatibus pro earum statu prospero, & incrementis felicibus Apostolica nos deceat provisione consulere, Alma tamen Urbi nostrae Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Martyrio consecratae, quae ipsius Petri Sedes, Sacerdotii Principatus, & christiana Religio caput existit, eo nos convenit ampliori cura prospicere, quo ipsam Sacerdotalem civitatem cunctis aliis praerogatis, nobis quod peculiarem filiam, quamdam praecipua, & singulari dilectione, in visceribus gerimus caritatis.

Iste Pont. vis directus a porta Castri Sancti Angeli usque ad Plateam S. Petri fieri eamque Alexandrinam appellati mandavit.

Et modo privilegia in ea edificandis concedit.

Decretum irritans.

Clausula derogatoria.

§. 1. Sane cum superiori anno, ex deliberatione & commissione nostra, pro Incolarum dictae Urbis, ac Curialium in ea commorantium, & Peregrinorum ad illam pro tempore, & praesertim hoc Sacro Anno Jubilei centesimo, confluentium, commoditate, ipsiusque Urbis decore, via recta Alexandrina nuncupata, a Porta Castri S. Angeli usque ad Plateam Sancti Petri, de dicta Urbe fieri coepta fuisset, ac circa illam domos, & aedificia ab utraque parte pro majori dictae viae ornamento extolli, & aedificari desiderarem. Nos Venerabilibus nostris Petro Archiepiscopo Reginen, dictae Urbis, & gubernatori &c.

§. 2. Et ut personae libere in dicta via aedificare valeant, de simili consilio, ac ex certa nostra scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine statuimus, decernimus, & ordinamus, ut de domibus in dicta via aedificandis, & emendis, alias in omnibus, & per omnia, juxta tenorem litterarum Sixti Papae IV. praedecessoris nostri, ac etiam nostrarum, in favorem domos in Urbe aedificantium, & eminentium editarum, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus infererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, & insertis, cum omnibus & singulis in eis contentis privilegiis, indultis, dispensationibus, concessionibus, & clausulis potiori pro cautela innovamus, & ad domos aedificandas hujusmodi, ac personas illas aedificantes, & ementes extendimus, libere disponere possint, dictaque domus, & personae sub eisdem literis, etiam quoad privilegia, indulta, dispensationes, & concessionem hujusmodi, ac omnia, & singula alia in illis contenta, sint & esse censeantur.

§. 3. Decernentes irritum, & inane, si fecus super iis, a quoquam quavis auctoritate scierit, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus quoque Imperialibus, Statu-

tis, & consuetudinibus dictae Urbis municipalibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, sive Regularium locorum, quorum fundi, domus, & loca hujusmodi locari, concedi, permutari, sive vendi, vel alienari contigerit, juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quae nos in nostris, & praefatus Sixtus praedecessor in suis literis praedictis, volumus non obtinere, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo, Pontificatus nostri Anno 8.

XIII.

Institutio officii Summatoris litterarum Apostolicarum, in officium perpetuum vacabile, cum indultorum, & gratiarum concessione.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

IN eminenti Apostolicae Sedis specula Romanus Pontifex dispositione divina constitutus, ad ea libenter intendit, per quae ad recipiendum litteras Apostolicas per Cameram pro tempore expediendas, & illarum summaria facienda, eaque referenda, talis persona deputetur, quae ad praemissa peragenda fidelis, & idonea habeatur, & postquam in iis instructa laudabiliter versata fuerit, nequeat amoveri, cum ex amotione praedicta, tam propter imperitiam, quam parvam cognitionem litterarum praedictarum experientiam, eadem expeditioni non parva scandala, & pericula possent faciliter provenire, cum ejusdem Sedis ignominia, & gravi partium expeditionis hujusmodi, in Romana Curia, ad quam de diversis Mundi partibus continuo confluit multitudo, persequendum dispendio, & detrimento.

§. 1. Cum itaque officium recipiendi, videndi, summam, & referendi litteras Apostolicas, quae per Cameram Apostolicam pro tempore expediuntur, quod dilectus filius Magister Ludovicus de Panafid. Decanus Ecclesiae Oveten. Scriptor, & familiaris noster, ex sel. rec. Innocentii Papae Octavi praedecessoris nostri, & deinde dicto praedecessore (ut Domino placuit) de medio sublato, & nobis divina favente clementia ad apicem summi Apostolatus assumptis, ex nostra concessione, fideliter & laudabiliter, per duodecim annos vel circa exercuit, pro faciliiori litterarum earundem in dicta Camera directione, & expeditione, admodum necessarium existat, expediaturque ut officium praedictum, ad instar aliorum dictae Camerae officiorum, perpetuum fiat, quo cum majori fide, cura & diligentia valeat exerceri: Nos volentes debite providere, praedictum Ludovicum, qui etiam continuus commensalis noster, & litterarum Apostolicarum de minori Parcho Abbreviator, necnon Cancellariae Apostolicae Offitarius existit, ob gratae devotionis, & fa-

Dat. an. 1500. Pontif. viii.

Causa hujus institutionis officii.

Institutio officii Summatoris litterarum Apostolicarum, vacabile, ad instar aliorum officiorum. Rev. Camerae Apost.

& familiaritatis obsequia, quae nobis, & Apostolicae Sedi haecenus impendit, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistit, necnon laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personam suam, tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum testimoniis, juvari percepimus: favore prosequi gratioso, ipsamque a quibusvis excommunicationis &c. censentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia ac de Apostolica potestatis plenitudine, officium Summatoris litterarum per Cameram praedictam expediendarum hujusmodi, ad instar aliorum dictae Curiae officiorum perpetuum auctoritate Apostolica, tenore praesentium erigimus, & instituiimus, statuentes, & ordinantes, quod de dicto officio, tam hac prima vice, quam quotiens deinceps pro tempore illud vacare contigerit, personae ad illud exercendum idoneae, per eam quoad vixerit tenendo, & exercendo, per nos, & successores nostros Romanos Pontifices canonice intrantes provideri, seu illud concedi, & assignari debeat, liceatque dicto Ludovico, & officium ipsum pro tempore obtinenti, de illo, prout Scriptorum litterarum Apostolicarum, de officio Scriptorum litterarum earundem disponere possunt, disponere, ac litteras dictam Cameram expediendas more solito recipere, videre, & summam, ac nobis & successoribus nostris praedictis, seu Praesidentibus dictae expeditionis pro tempore deputatis, ut moris est referre, illaque ad Camerae, & Secretariae Apostolicarum registra dirigere, qui de salario solito contentari tenentur.

§. 2. Ac omnibus privilegiis, gratis, indultis, exemptionibus, honoribus, praerogativis, & immunitatibus, quibus Scriptorum litterarum earundem utuntur, potiuntur, & gaudent, uti potiri, & gaudere. Et nihilominus de hujusmodi officio sic ac a primava ejus erectione vacante cum honoribus, oneribus, salariis, emolumentis constitutis, ac aliis praemissis, dicto Ludovico motu, scientia, & auctoritate praemissis, providemus, illudque sibi quamdiu vitam duxerit in humanis concedimus, & assignamus. Decernentes eundem Ludovicum, ad officium hujusmodi, ejusque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta, aliaque praemissa, per dictos Praesidentes recipiendum, & admittendum fore, prout nos illum ex nunc recipimus, & admittimus.

§. 3. Quo circa dilecto filio Magistro Francisco Remulo, Clerico Narden. Protonotario nostro, pro nobis, & Romana Ecclesia Urbis gubernatori, & in Camera praedicta pro dilecto filio Raphaeli S. Georgii ad Velum aureum Diacono Cardinali Camerario nostro, Locumtenenti, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus praemissa omnia & singula, ubi, quando, & quoties opus

Concessio privilegiorum, & emolumentorum.

Exequutores hanc litteram deputat.

fuerit, publicari faciat, auctoritate nostra dictum Ludovicum ad effectum hujusmodi, ejusque liberum exercitium, ac honores, onera, & emolumenta, aliaque praemissa recipi, & admitti, juxta dicti decreti continentiam, & tenorem non permittens, cum per dilectos filios Secretarios nostros, seu quoscumque alios, de super quovis modo molestari. Contradictores &c.

§. 4. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1500, decimo Kalen. Octobris, Pontificatus nostri Anno nono.

Dat. die 22. Sept. 1500. An. 9.

XIV.

Minimorum, seu Eremitarum Ordinem a Sancto Francisco de Paula nuper institutum, Privilegiis, & gratis donans approbat, Regulam noviter reformatam confirmat, ipsamque ad Mendicantium Ordinum praerogativas, & indulgentias extendit.

Ex Regesim Archiv. Vat.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea, quae circa decorem Sacrae Religionis, ac statum personarum sub illius suavi jugo in voluntaria paupertate, degentium salubriter dirigendarum tendere noscuntur, paternam sollicitudine prospicientes; iis, quae ad hoc tam ex Apostolicae Sedis concessione, quam provida ministrorum ejusdem Religionis ordinatione emanarunt, libenter cum a nobis petitur, Apostolice adicimus muniminis firmitatem, & alia super hoc ordinamus, prout ad Religionis ipsius conservationem & animarum salutem in Domino cognoscimus salubriter expedire.

Procurium.

§. 1. Dudum siquidem pro parte dilecti filii Francisci de Paula Ordinis minimorum Ministri Generalis tunc Eremitae Cusentinae Diocesis fel. rec. Sixto Papae quarto Praedecessori nostro exposito, quod olim antea bo. mc. Pirrus Archiepiscopus Cusentinus tunc in humanis agens eidem Francisco, ut quoddam Oratorium sive Ecclesiam sub vocabulo Sancti Francisci in tenimento de Paula dictae Diocesis edificare posset licentiam concesserat; ipse Franciscus oratorium hujusmodi propriis manibus & expensis cum dormitorio pro ipsis ac sociorum suorum usu & habitatione pro magna parte aedificaverat, & nonnullos socios vitam eremiticam ducentes receperat, ipseque Archiepiscopus praefatum Oratorium sive Ecclesiam una cum omnibus membris & pertinentiis suis praefato Francisco & sua Congregationi in perpetuum donaverat & nonnulla alia sua & sociorum praedictorum devotioni, & saluti convenientia, salutifera & opportuna concesserat, fecerat & ordina-

B. Franciscus Eremitarum in loco de Paula aedificat, ex concessione Archiepiscopi Cusentini.

dinaverat, quodque oratorium ipsum adhuc pro sufficienti habitatione Francisci & heremitarum predictorum perfectum omnino non erat, illudque Christianissimum eleemosinis cum necessariis officinis continuo edificabant, ampliabant, & etiam exornabant, prefatus Sixtus Prædecessor tunc Episcopo S. Marci ejus proprio nomine non expresso suis dedit litteris in mandatis, ut si & postquam vocatis, qui forent evocandi, de premissis sibi legitime constaret, concessionem & litteras dicti Archiepiscopi & in eis contenta cum suppletionem defectuum approbaret & confirmaret, ipseque Prædecessor in eventum approbationis, & confirmationis, ac suppletionis hujusmodi eisdem heremitis, ut omnibus & singulis privilegiis, indulgiis, & gratiis, quibus frater Petrus de Pisis, ceterique heremite potiebantur, & gaudebant, uti & gaudere possent, concessit per quosdam primò; & deinde cum tunc Episcopus Sancti Marci prefatus ad executionem litterarum predictarum legitime procedens licentiam, donationem, concessionem, ordinationem, & litteras Archiepiscopi hujusmodi, ac in eis contenta cum suppletionem defectuum approbasset, & confirmasset, approbationem, confirmationem, & suppletionem hujusmodi eidem Sixto Prædecessori, quodque prefatus Archiepiscopus inter alia per eum tunc eisdem heremitis concessa predictum Oratorium sive Ecclesiam S. Francisci & alia quæcumque loca, & Ecclesias per eos, imposterum recipienda cum omnibus membris & pertinentiis suis, heremitisque, & personis inibi pro tempore degentibus, ac rebus omnibus ad eos locaque ipsa quomodolibet pertinentibus & spectantibus ab omni jurisdictione, subjectione, & superioritate Matrum Ecclesiarum, ac sua, suæque Ecclesie Cusentinae ceteraque personarum imperpetuum exemerat & liberaverat, ac sub protectione, submissione, & jurisdictione Sedis Apostolicæ remisit & reclamaverat; pro parte Francisci, & heremitarum predictorum expositis, quia a nonnullis asserbatur, litteras predictas, & confirmationem, approbationem & defectuum suppletionem, ceteraque alia & singula per prefatum Episcopum Sancti Marci illarum vigore facta, & inde secuta quæcumque viribus non subsistere, pro eo quod quamlibet speciali nota digna sub generalitate verborum in eisdem litteris expressa dumtaxat fuerant, idem Prædecessor per alias suas donationem, concessionem, ordinationem, confirmationem, remissionem, relaxationem, indulgentiam, gratias, & litteras prefati Archiepiscopi, omniaque & singula in eis contenta tam circa deputationem prefati Francisci in Superiorem, Patrem, Rectorem, & Priorem dictæ Congregationis, & aliorum Superiorum, & officialium electionem, Statutorum editionem, concessionem jurisdictionis in Officialibus, res, & bona dictæ Congregationis in spiritualibus & temporalibus, correctionem rebellium,

inobedientium, ac delinquentium, & illorum abolitionem, necnon concessionem Altaris portatilis, ministracionem Sacramentorum Ecclesiasticorum, confessiones audiendas, dispensaciones, & commutationes votorum, necnon receptionem novorum heremitarum, & nonnulla alia salutiferum statum dictæ Congregationis concernentia, quæ tunc expressa fuerunt, suasque & dicti Archiepiscopi litteras, necnon approbationem, confirmationem, & suppletionem defectuum prefati Episcopi S. Marci, processusque desuper habitos & inde secuta quæcumque, quæ pro expressis haberi voluit, rata & grata habens, illa omnia laudavit, approbavit, confirmavit, & communit cum simili defectuum suppletionem.

§.2. Decevit quoque priores litteras, ac processus hujusmodi, & inde secuta quæcumque valorem, & roboris firmitatem obtinere perinde ac si in eisdem litteris omnia per dictum Archiepiscopum concessa specialiter & singulariter narrata & expressa fuissent, & insuper Franciscum & heremitas predictos, ac eorum quemlibet, heremitoriumque sive Ecclesiam Sancti Francisci de Paula hujusmodi, ac omnia & singula heremitoria, Ecclesias, & loca per eos in quibuscumque Civitatibus & Diocesis, ac ubilibet eatenus recepta, & imposterum recipienda cum omnibus juribus & pertinentiis suis, heremitasque & personas in illis pro tempore degentes, ac res & bona quæcumque mobilia & immobilia ad eas, ac heremitas, & personas, ac eorum quemlibet, ac loca, heremitoria, & Ecclesias hujusmodi quomodolibet communiter vel divisim spectantia & pertinentia ab omni jurisdictione dominio, & potestate, visitatione, correctione & superioritate prefati, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Cusentini, et aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, Judicum, et Superiorum quorumcumque, etiam illorum, in quorum jurisdictione, Civitatibus, et Diocesis heremitoria, loca, Ecclesie ipsæ, et heremite ac personæ, res, et bona hujusmodi consistere et consistere poterant quomodolibet in futurum, auctoritate Apostolica de speciali gratia prorsus exemit, et totaliter etiam liberavit, ac sub Beati Petri, et Sedis memoratæ, ac Romanæ Ecclesie, et sua protectione suscepit, ac exempta, et immunita esse voluit, sibi que et successoribus suis Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac dictæ Sedi immediate subjecit, ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii, Judices supradicti ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, vel iniretur contractus, aut res ipsa consistere, nullam in eas heremitoria, loca, et Ecclesias, heremitasque, et personas hujusmodi, ac res, et bona predicta jurisdictionem, potestatem aut dominium possent quoquomodo exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede vel ejus Legatis

Hæc sedulo examinari, confirmari, que mandavit Sixtus IV. Episcopo S. Marci.

Qui etiam reperit Donationem veterem factam locaque jurisdictioni S. Sedis reservata.

Sixtus itaque Donationem, ceteraque omnia firmavit.

Hæc notitia illi super Consuetudinum Oratorum, bona omnia & personas soli Apostolicæ Sedi immediate subiecta declaravit.

gatis ipsi, et heremite, et alie persona in locis, Ecclesiis, et heremitoriis hujusmodi pro tempore degentes teneantur de justitia respondere.

§.3. Et insuper eis omnibus, et singulis heremitis, ac personis, locis, Ecclesiis, et heremitoriis, ut omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, concessionibus, gratiis, indulgiis, ceterisque omnibus, et singulis in illis, ac aliis suis, ac ipsius Cusentini Archiepiscopi litteris supradictis, ac per eas habitis processibus predictis contentis eis ac heremitoriis, Ecclesiis, et locis hujusmodi concessis, et concedendis in quacumque Civitate, et Diocesi, et ubicumque, et in quocumque loco, auctoritate predicta uti, et gaudere, caque omnia, et singula in suis hujusmodi ac aliis, et prefati Archiepiscopi prænominatis litteris, et processibus desuper habitis contenta cujusvis superioris super hoc, aut aliquo premissorum, licentia minime requirita, a quibuscumque etiam contraditionibus, exceptionibus, et impedimentis remotis, auctoritate predicta libere et licite exercere possent, et valeret, concessit, & indulgit.

§.4. Postea vero pie me: Innocentius PP. VIII. etiam per alias suas, in quibus littere Sixti Prædecessoris hujusmodi de verbo ad verbum inserte fuerant, easdem litteras, ac omnia, et singula in eis contenta recens laudavit approbationem, confirmationem, communicationem, suppletionem defectuum, decretum, exemptionem, liberationem, susceptionem, voluntatem, concessionem, et indulgentiam hujusmodi, ac prout illa concernebant omnia et singula in eisdem litteris contenta et enarrata auctoritate Apostolica confirmavit, et approbavit cum simili defectuum suppletionem.

§.5. Postmodum verò pro parte dictorum heremitarum nobis exposito, quod prelati Franciscus habens ad hoc ab eodem Pirro Archiepiscopo specialem facultatem per eisdem Sixtum, et Innocentium Prædecessores successivè confirmatam, et ad quæcumque loca, quæ eidem Congregationi donari contingeret, ampliata, illarum vigore pro salubri directione heremitarum societatis ejusdem nonnulla divini cultus augmentum, et animarum salutem, et vite heremiticæ hujusmodi perseverantiam, et eorum prosperitatis votivæ successus concerneat, Sacris Canonibus non contraria sub regula ordinis fratrum Minorum pauperum heremitarum dicti Fratris Francisci de Paula in tredecim capitulis contenta statuerat, & ordinaverat, quæ voluerat & mandaverat per heremitas ejusdem Societatis perpetuis futuris temporibus observari.

§.6. Nos tunc supplicante etiam cl. me. Carolo Francorum Rege, qui ad dictum ordinem singularem ferebat devotionem, per alias nostras litteras statuta & ordinationes hujusmodi, ac omnia & singula in dictis Capitulis contenta, que

tunc diligenter inspicere, ac de verbo ad verbum inseri fecimus, etiam cum suppletionem defectuum approbavimus & confirmavimus, postea verò per reliquas nostras in forma Brevis litteras omnia, & singula privilegia, indulgentias, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta quæcumque ipsi heremite & eorum ordini, ac domibus, etiam ante erectionem hujusmodi ordinis, dum heremiticam vitam ducerent, per eisdem Sixtum, & Innocentium, ac alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & nos quomodocumque concessa, que omnia pro expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica approbavimus, & perpetuè robor firmitatis obtinere decrevimus.

§.7. Et quia dicti Prædecessores singula privilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, & indulta quæcumque Predicatorum, Minorum, Heremitarum Sancti Augustini, ac Carmelitarum, necnon alios Mendicantium Ordinum, & illorum Professoribus, ac domibus, et eorum Ecclesiis visitantibus, et cuilibet eorumdem ordinum quomodocumque concessa ad ordinum minorum hujusmodi extenderunt, nos pariter eorum extensionem confirmavimus, et si quæ alia indulta, privilegia, et gratia post datam extensionis hujusmodi a dictis Prædecessoribus, vel a nobis eisdem ordinibus mendicantium, vel alicui eorum concessa essent, illa ad eisdem heremitas, ac illorum ordinem, et domos extendimus et ampliamus, ac ipsi suffragari volumus in omnibus et per omnia perinde ac si pro eis emanassent, prout in singulis litteris, et capitulis predictis plenius continetur.

§.8. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte Francisci, & Heremitarum predictorum petitio continebat, ipse Franciscus una cum nonnullis aliis heremitis Congregationis ejusdem tredecim Capitula Statutorum, & ordinationum predictarum in decem capitula reduxerit, & illorum aliqua pro salubriori directione, fratrum minorum ejusdem ordinis olim societatis dictorum heremitarum mutaverit, aliqua etiam addiderit, que voluit, & mandavit per eisdem fratres deinceps perpetuis futuris temporibus observari, ipsi etiam cupiant regulam, & modum vivendi fratrum utriusque sexus Tertii Ordinis Fratrum Tertiariarum utriusque sexus Fratris Francisci de Paula nuncupatorum, pro personis utriusque sexus poenitentiam secundum ipsius Fratris Francisci salubria monita facere volentibus, secundum modum vivendi eis per ipsum fratrem Franciscum in septem Capitulis redactum, datum ad fratres minorum, & eorum Ordinem extendi pariter, & ampliari, pro parte Francisci, & aliorum fratrum dicti ordinis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis tam Pirri Archiepiscopi, quam Episcopi Sancti Marci, & Sixti, ac Innocentii Prædecessorum predictorum, ac nostris litteris predictis, & in eis contentis, necnon reductioni, mutationi

Quam declarationem ad acquirenda in posterum heremitoria extendit.

Hæc omnia confirmavit Innocentius VIII.

B. itaque Franciscus nonnulla prorsus Heremite condidit Statuta.

Ea confirmavit Alexander.

Ordini vero concedit omnia & singula Privilegia Ordinum Mendicantium.

B. Franciscus Statuta antea efformata, reformavit, datque Fratris Tertii Ordinis.

Eaque Pape porrigit confirmanda.

tationi, alterationi, ac regula seu modo vivendi prædictis robor Apostolicæ confirmationis adicere, & regulam hujusmodi in ordinem minimorum de novo erigere, necnon regulam, seu modum vivendi fratrum Tertii Ordinis hujusmodi ad eosdem fratres extendere, & ampliari, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignemur.

Quod benigne concessit Pontifex.

§. 9. Nos igitur, qui amatores Regularis vitæ libenter confavemus, & pia ac paterna charitate prosequimur, & eis quantum cum Deo possumus, favorem benevolum impartimur, hujusmodi, necnon charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Illustris, qui ut asseritur, ad eosdem fratres minimorum & eorum Ordinem specialem gerit devotionis affectum, nobis super hoc pro eisdem cum instantia supplicantis supplicationibus inclinati, Pirrhi Archiepiscopi, ac Sixti, & Innocentii Prædecessorum prædictorum, ac nostras literas prædictas, necnon omnia, & singula in eis contenta, alia quoque privilegia, concessionem, immunitates, exemptiones, indulgentiam quæcumque eisdem fratribus minimorum, ac eorum ordini, & domibus a Sede Apostolica, vel Legatis ejusdem, seu alias quocumque modo facta, & concessa, quatenus in usu existant, necnon reductionem, mutationem, alterationem dictorum decem Capitulum, ac regulam, seu modum vivendi fratrum Tertii Ordinis hujusmodi, necnon omnia, & singula in decem capitulis, ac regula, seu modo vivendi hujusmodi contenta, que diligenter inspici, ac præsentibus de verbo ad verbum annotari fecimus, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemque omnes, & singulos defectus tam juris, quam facti, si qui forsitan intervenerint in eisdem, & pro potiori cautela societatem pauperum heremitarum hujusmodi in ordinem fratrum minimorum dicti Francisci de Paula erigimus, ac singulas literas, & in eis contenta, ac privilegia, concessionem, immunitates, exemptiones, & indulgentiam quæcumque eisdem fratribus, ac eorum ordini, & domibus a Sede Apostolica prædicta, vel Legatis ejusdem, seu alias quomodocumque facta, & concessa, que hic, ac si de verbo ad verbum inserta forent, præsentibus haberi volumus pro expressis, quatenus sint in usu, & observantia, innovantes, ac de novo concedentes. ea omnia, que circa statuta, & ordinationes confirmata per eundem Franciscum reducta, immutata & alterata fuerint, de novo eadem auctoritate reducimus, immutamus, & alteramus, regulamque, seu modum vivendi fratrum Tertii Ordinis hujusmodi ad eosdem fratres minimorum extendimus, ac volumus illam, & illum, necnon contenta in dictis decem capitulis juxta eorum continentiam, & tenorem perpetuis futuris temporibus per ejusdem Ordinis minimorum fratres, qui nunc sunt, &

pro tempore erunt, pro eorum regularibus institutis inviolabiliter observari.

§. 10. Tenores vero dictorum decem Capitulum, necnon Regulæ, seu modi vivendi fratrum Tertii Ordinis hujusmodi de verbo ad verbum sequuntur, & sunt tales.

Incipit Regula, & vita Fratrum Minimorum Fratris Francisci de Paula.

CAPITULUM I.

De observantia Divinorum Præceptorum.

§. 11. Fratres minimorum minimi, qui vitam, & regulam Sanctissimi Evangelii Domini nostri Jesu Christi imitantur, viventes sub voto paupertatis, castitatis, obedientiæ, & vitæ quadragesimalis promittunt obedientiam, & reverentiam Sanctissimo Christi Vicario Alexandro Papæ Sexto, & ejusdem Successoribus canonice electis, & Ecclesiæ Romanæ, fratrique Francisco de Paula, & ejus pro tempore successoribus: studeant omnes hujus Religionis fratres humiliter obedire, nunquam ab hujus vitæ, & regulæ professione recessuri, quam qui secuti fuerint, pax super illos, & Benedictio Dei suscipientes. Verum hanc vitam, ac sub hac regula profitentes primum divina præcepta cum reliquis eorum salutis congruentibus scire, & sedulo observare intendant, Deum ante omnia, & super omnia toto corde, totisque viribus amantes, & proximos sicut semetipsos. Deinde universalia Sanctæ Ecclesiæ præcepta custodire curent, neque his contenti sint, sed ut servidi ad reliqua Evangelii consilia ascendere libenter, & avidè contendant, recordenturque eum hæc omnia fecerint, se esse inutiles servos, & meminerint, quod nemo ponens manum ad aratrum, & aspiciens retro aptus est Regno Dei.

CAPITULUM II.

De Divino Officio, & Sacrificio, laudibus Divinis.

§. 12. Fratres Clerici alacriter instantes horarum canonicarum officium secundum Ritus Curie Romanæ, calendario tamen correcto, ut sint unus moris in Domo Domini, per totum ordinem concorditer observandum voce quadrata, & sine nota persolvant: de festis solemnibus tertia, aut loci missa conventualis si dicenda videbitur, dumtaxat fiet cum commemoratione festi, de quo celebrabitur officium dedicationis ante Ecclesiarum ordinis tam præterita, quam futura festum per universum ordinem Dominica prima post octavam visitationis Virginis Mariæ unanimiter solemnizando fiat in Dominicis, in solemnibus diebus, in festis tertia, & loci, in quo fratres habitant in presentia fratres, & in aliis si videbitur poterit missa in choro

legi

legi voce quadrata, & hoc sine nota ad modum Canonicarum horarum. In his etiam missis poterunt unus, vel duo, & ad plus tres fratres indui: missæ autem particulares obligatoriæ, seu quævis alia suffragia perpetua non acceptentur in ordine, sed tantum in generali, aut saltem aliquo limitato tempore. Præterea fratres non clerici dicent triginta Pater noster cum totidem Avemaria pro matutinis, & ter pro qualibet aliarum horarum in principio, & in fine dicti numeri, dicendo Requiem æternam, &c. Infra scriptis diebus singulis fratres non Sacerdotes, & etiam oblati, quos legitima causa non excusat, sacrosanctum Christi corpus devote suscipiant, in prima videlicet Dominica adventus, in Nativitate Salvatoris nostri, in Epiphania, in Purificatione Virginis, in prima Dominica Quadragesimæ, in Coena Domini, Ascensione, Pentecoste, Corporis Christi solemnitate, in festo dedicationis Ecclesiarum Ordinis, in Assumptione, & Nativitate Virginis Mariæ, in festo Angelorum, in fine Septembris, & in solemnitate omnium Sanctorum. Ut autem illud Deificum Sacramentum, fratres amatissimi, nobis non cedat in iudicium, singulis hebdomadis semel ad minus confessione Sacramentali conscientias vestras expiate, & cum dies communicationis advenit, in Capitulo signo prævio, nisi causa vos excuset, aliqua reconciliatione purgate.

CAPITULUM III.

De differentia habitus Professorum, & Novitiorum, ac distinctione Oblatorum, & Tertiatorum.

§. 13. Indumenta tam Prælatorum, quam subditorum sine differentia sint de panno ex lana pecorina nigra, & sine tinctura: sit autem habitus, ut tibi tegantur, usque ad collum seu talum longus, Caputium vero usque ad femora ante, & retro protensum, cingulo laneo coloris habitus nodis quinque nodato, quatuor videlicet pendentibus cingantur, & hic sit habitus professorum, quem nisi causa necessitatis, mutationis, reparationis, vel mundationis, nunquam dimittere licebit, sub quo unam, vel plures tunicas de humili, & vili panno, etiam camisas canepo, & lana simul contextas, ut necessitas exegerit, portare poterunt, chlamide nunquam rugata, vel crispata usque ad suram protensa cum cuculla ad caput tegendum apta, retro consuta intus, vel extra ut liberit, uti valeant; zoccolis vero ligneis, seu sotularibus Apostolicis, aut etiam soleis ex pellibus, vel funibus juxta Provinciarum varietates intus, vel extra uti poterunt; de integris autem calcetis corrector cum fratribus secundum Deum maxime itinerando dispensare poterit: extra tamen uniformitas servetur, humiles ac parvas tonsuras capillis reliquis, ne desuuant, frequenter attonsis. Sanctuario ministran-

Tom. III. Par. III.

tes ferant caligas usque ad genua, & parum per supra longas, ac etiam femoralibus lineis uti poterunt. His omnibus conformes erunt novitii, reservato caputio, quod usque ad cingulum dumtaxat, ita, quod cingi non valeat, protendatur, ut intelligant tam qui de sæculo, quam qui de quacumque alia religione ad hanc Religionem canonicè transeunt, seu veniunt, se non ligari, sed probari, quos omnes per annum probari volumus; Cingulum vero cum tribus nodis, & clamidem sine cuculla. Oblati autem ordinis habitum prædicti coloris usque ad medium tibiarium longum sive crurum cum cordone quatuor nodos habente deferant, Caputium ad modum antiquorum portent cum coraeta quadam satis stricta, quæ sit talis longitudinis, quod a capite usque ad renes protensa sub cingulo possit cingi, aut cum super scapulam portatur, cum eadem ne cadat retineri, quo uti poterunt, nisi in aliqua Patria usus talis indecens videretur, non tamen ipsum penitus induant, sed cum caput tegitur, cauda per humeros extendatur. Etsi mantello utantur illud sine cuculla portent, sitque prædicti coloris, & pro capite ac brachiis emittendis dumtaxat apertum admodum habitus, vel minus longum, quo uti poterunt ad beneplacitum; pro officio vero matutinali dicent viginti Pater noster, & totidem Avemaria, pro laudibus septem, pro vesperis decem pro reliquis horis quinque, & pro defunctis dicant viginti Pater noster, & totidem Avemaria, in principio, & in fine dicti numeri dicendo Requiem æternam, & lux perpetua, &c. singulis feriis sextis, & a festo Beate Catharinæ exclusive usque ad Nativitatem Domini cum jejuniis Ecclesiæ jejunent, stabilitatem & permanentiam perpetuam in ordine promittentes, societatem istam exire, nec alium gradum ascendere presumant, sed voto inherentes, subque votis obedientiæ, paupertatis, castitatis, & quadragesimalis vitæ poenitentiam agentes fratribus humiliter obsequentur: poterunt nihilominus pecuniam tangere, & soli ambulare, sed non ad Monasteria Monachorum sicut nec ceteri fratres absque Sedis Apostolicæ expressa licentia, præterquam ad loca communiora accedere: hujusmodi oblato valebunt ante vel post professionem in Provifores seu Procuratores eligi, intusque similiter, & fratres in probatione existentes unum vel plura minora officia juxta Capituli localis ordinationem exercere poterunt, considerata vero debilitate tam illis, quam fratribus de consensu correctoris, & Capituli localis licebit assignare: hi oblato calcementis integris, caligis longis, & camisis canapis uti poterunt de licentia correctoris, & seniorum consilio, extra vero loca, in quibus pro tempore residebunt, nihil quantumcumque minimum sit cuiquam dare, aut accommodare, nec literas quorumcumque portare aut etiam mittere, sicut nec alii fratres absque licentia superioris præsumant,

I i

& ut

& ut omnia rite, & honeste erga fratres fiant, quatuor oblati ad minus in quolibet conventu, si possibile sit, habeantur, tertiarii autem ordinis utriusque sexus cordone seu cingulo tribus dumtaxat nodis nodato utantur, habitum portant, divinumque officium facientes, ut in eorum regula continetur, qui etiam cum Procuratoribus secularibus Religionis gratius, & indulgentiis ordinis gaudebunt, de quibus quidem tertiarii fratres non plus se intromittant, quam in eorum regula exprimitur.

CAPITULUM IV.

De recipiendis ad ordinem, & quando fratres humilitati orationi, & taciturnitati insisterent habebunt.

§. 14. Recipiendi ad ordinem istum a seculi vanitate fugientes penes Generalem, & Provinciales, Correctores, aut quibus per eos fuerit commissum, auctoritas resideat qui per se, vel alios idoneos fratres de omnibus ad legitimum Religionis ingressum necessariis interrogent, si in fide catholica inveniantur firmi, nullo errore infecti, non uxorati, nullis rationibus, & debitis obligati, & decimum octavam annum ad minus attigerint, & qui pravia, & matura deliberatione in Clericos, vel Laicos, ac oblatos recipiantur; & in isto statu, in quo recepti fuerint, perpetuo permanent: si vero testimonium bonum a fratribus, & instructore novitiorum habuerint, ad professionem post annum admittantur, omnesque fratres sint benigni, modesti, & exemplares, non alios, sed seipsos judicantes, orationi, cum eis vacat, incumbentes, multiloquum fugientes; si enim de bonis verbis propter silentii gravitatem aliquoties est tacendum, eo magis ab illicitis ob culpam evitandam erit abstinendum, cum in novissimo die de omni verbo, nedum iniquo, sed etiam otioso strictissima sit reddenda ratio; ideo exhortor atque moneo, ut precipue in Ecclesia, dormitorio, atque clauetro silentium observetur, similiter a completorio usque ad primam, & etiam in Refectorio tempore refectiois.

CAPITULUM V.

De Superioribus Ordinis, & de obedientia, & reverentia ipsis exhibenda.

§. 15. Cum enim Deo consecratorum ab eo, qui tentationis bella non subegerit, curam suscipere non expediat, cumque ad subditorum regimen debitum inter animi dotes necessaria sit experientia, qua dictante certius operetur expertus artifex artifice non experto; ea propter nullus in ordine isto praeficiatur, nec in electione, & depositione Superiorum vocem habeat, nisi per triennium professus laudabiliter vixerit, nec post dictum trien-

nium demptis Sacerdotibus primitus hoc in Ordine professis, si tamen vigelimum quintum annum attigerint, nisi consensu Capituli Provincialis interveniente. Ordinis autem istius Superiores quoscumque Correctores nuncupandos censemus, ut se ipsos prius corrigentes fratrum suorum defectus cum charitate, & compassione delere, & emendationem potius quam punitionem pretendentes Communitati in victu, & vestitu se conformare debeant, nullumque ex fratribus suis minimis, & ipsi minimi quacumque gratie, autoritative premeant prestantia, aut de hoc contendere aut concurrere presumant. Fratres vero subditi Correctorem velut Patrem spirituales offendere timeant, nedum arguentes cum eo super quacumque re, nisi sit contra Deum, animam suam, regulam, istam, superba cervice contendere, aut ei arroganter respondere audeant, sed re, & verbo, ut filii benevoli eos reverentur, & ad quaecumque interrogata prompte respondentes, obedientiam sibi injunctam cum mansuetudine, & charitate perficere non negligant. Proinde generalem Patrem & correctorem Provinciales, cum ad eos declinaverit, praecipua reverentia recipientes debito honore prosequantur. Nihilominus tamen si Correctores contra hanc regulam aliquid fecerint, liceat cuilibet professo eos benigne, & charitative admonere.

CAPITULUM VI.

De Predicatoribus, ac Saccularium Confessoribus, ceterisque Officialibus.

§. 16. In Predicatores, & Confessores saecularium assumendi sint timorati, & boni testimonii, & in Capitulo Generali, ac Provinciali circumspicte, & attente examinati, & qui idonei inventi fuerint, Correctoris Generalis aut Provincialis benedictione approbentur, & confirmantur, & a dictis officiis per eosdem usque ad proximum Capitulum Provinciale, aut Generale, qui tunc ibi confirmabuntur, aut de aliis providebitur: qui quidem sic ordinati officia praedicta in nomine Domini cum timore exercere poterunt. In Lectores ordinarios deputati a curiositate caveant, utilitati magis, quam subtilitati intendendo, gradum etiam magisterii assumere fratribus nunquam liceat. Demum quando aliqui fratres sic agrotaverint, quod communitatem sequi non valeant, ad infirmariam conducantur, si videbitur, & infirmaria de oblatis per correctorem, & seniores ordinetur: qui quidem oblati de Medici, si affuerit, aut in absentia de aliquarum expertarum, & timoratarum personarum consilio primitus de cibis quadragesimalibus charitative, & diligenter infirmis subveniat, si autem infirmitas invaluerit, de praedictorum consilio ut prius tactum est, de cibariis quibuscumque profanitate recuperanda opportunis foveatur illis

illis juxta loci facultatem subveniendo. Qui quidem infirmi cum convalescere cognoscuntur sic, quod consuetis cibis uti possint, ad pristinam felicemque revertantur aut reducantur consuetudinem: similiter qui diutino, seu naturali languore laborant, sed supportentur ut infra exprimitur, gaudentes de tempore sibi ad penitentiam faciendam commodato. Infirmaria autem centum pedum intervallo ad minus si possibile sit, a Conventu separetur, & nullo modo in interioribus officinis esse permittatur: carnes vero seu ova, butirum, caseum, seu quavis lacticia, aut ex eis confecta per Conventum nullatenus portentur, nisi essent candelae, aut unguenta causa necessitatis ex pinguedine composita, sed Corrector per oblatos, aut Procuratores de talibus secundum medici consilium providere faciat, eo quod hujusmodi pingua fratribus sanis intus, & extra prohibentur. Fratres autem infirmi, qui se a Paschalibus cibis abstinere noluerint, nisi forent sensu laesi, aut mente capti, ad illa violenter non compellantur, nisi de consilio medici, ac licentia seu mandato Correctoris: Ipsi vero oblati infirmis deputati in ipsa infirmaria, cum infirmis resideant, nec liceat ceteris fratribus infirmariam intrare tempore quo infirmi in illa fuerint, nisi de licentia Correctoris, aut etiam nisi loco Oblatorum, aut cum ipsis oblati de Correctoris, & seniorum consilio ad serviendum ipsis infirmis deputati essent. Postremo hospites hilari corde, & intuitu placido recolligantur, ac de cibis quadragesimalibus, & non aliis illis subveniatur. Fratres vero, qui bini, & bini incedere debent, quamdiu cum obedientia extra Conventum vadunt, unus eorum vice Correctoris fungatur, & in egressu, & regressu benedictionem Correctoris non omittant. Et quia mulierum familiaritas, plurimum obesse noscitur, ideo mulieres quascumque hospitio recipi, strictissime prohibemus, poterunt tamen fundatrices, & earum natae atque haeredes, & de stirpe Regia progenitae cum earum comitiva septa locorum nostrorum intrare, & communiora conventus loca visitare, similiter etiam Ducissae, Baronissae, & Comitissae, seu alio nomine nuncupatae, cum a longe devotionis causa ad nostra diverterint loca, omni cum honestate, & decenti societate, cum Dei benedictione bis aut ter in anno intrare ac eadem visitare permittamus, diebus tamen, & horis ad id per Correctorem, & Capitulum pro tempore statutis, & dummodo dictae mulieres ibi non pernotent.

CAPITULUM VII.

De paupertate fratrum, & verum expropriatione.

§. 17. Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus; eapropter, fratres, fugitiva, & Tom. III. Par. III.

velut umbra peretereuntia respuentes, nihil, quantumcumque minimum sit, sibi approprient. Si igitur cuicumque fratrum undecumque aliquid donari contigerit per Correctorem de scientia conventus cui necesse fuerit, charitative distribuatur, in omnibus tamen tam vestimentis, quam adificiis humilitatis nutrix paupertas semper innotescat, & quoniam nummus animarum est viscus multus in perditionem cedens, ideo pecuniarum nedum proprietatem, sed & contactum ut peccandi tollatur occasio, strictissime interdicimus: itaque eas tangere, aut supra se quovis modo scienter portare nulli fratrum unquam licebit. Verumtamen ob fidelium devotionem, Divini cultus augmentationem, fratrum que subventionem cippum seu truncum, ne fratrum mendicatas fidelibus sit onerosa, & vagationis quatuor potius quam pietatis materia impendatur habere toleramus, permittentes, quod si qui devotionis causa pietatisve obtentu elemosinas annuales seu perpetuas pro Ecclesie, fratrumque necessitatibus pie relevandis legare voluerint, modo infra scripto gaudere valeant, ita tamen quod fratres a perfectione, & puritate paupertatis promissa non discedant, in proximiorum Civitate, aut villa, seu castro, ubi fratres locum, & situm habere contigerit, Rectores, Praesides, Scabini, Consules, electi, jurati, aut Domini de consilio, seu quovis alio nomine nuncupentur, bonorum annualium, si que fuerint, veluti tutores, & protectores locorum, ac dictas elemosinas annuales pro Deo largientium, & donantium curam habeant, unum vel plures Recollectores hujusmodi elemosinarum fratribus per manus Oblatorum, aut amicorum spiritualium per eosdem fratres conventionaliter electorum juxta legantium intentionem distribuendarum deputaturi. Idcirco si a paupertatis professoribus abdicatis rerum dominiis dictae elemosinae annuales, & perpetuae in toto vel in parte auferantur, fratres ut filii verae pacis cum hominibus nullo pacto in iudicio, vel extra contendant, sed hujusmodi Rectores, Praesides, scabini, & Domini praedictis sollicitudinem relinquunt, a contentioibus igitur liberi non sint modice fidei, sed in Domino ostiatim mendicando spem reponant: praeterea non intendimus per hac quoniam fratres dicto Domino de consilio, seu politica gubernatores, aut in Recollectores elemosinarum perpetuarum deputatos benigne monere possint, quod elemosinas legatas pro conscientiarum suarum exoneratione, & animarum ipsorum Legantium salute dignentur juxta piam Legantium intentionem fideliter impendere.

CAPITULUM VIII.

De dispensatione elemosinarum pecuniarum.

§. 18. Quia fratres charissimi Regula nostra specialiter prohibet, ut fratres nostri nihil sibi approprient, sed sint tanquam pere-

peregrini & advenæ in hoc seculo Domino famulantes, & quod nullus inter nos suum quidquam dicere audeat, sed omnia sint de Ecclesia, & unicuique à Patre distribuatur prout opus est, cujuslibet ætate, & qualitate considerata, & pecunias accipere, aut quovis modo super se portare ipsa regula nostra perpetuo interdicit, ac Superiores pro necessitatibus infirmorum, ac fratribus induendis per amicos spirituales, aut locorum Procuratores de scientia conventus pecunias undecumque provenientes sine quavis causa accipi facere, & per eosdem in capsâ quatuor clavaturis clausâ reponere, & de scientia Conventus exponi facere ipsa Regula nostra continet, prout in sexto Capitulo dictæ Regulæ nostræ auctoritate Apostolica confirmata plenius continetur, quoniam panem quotidianum pro corporis necessitate non voluptate petendum Christus paternaliter docuit, pro necessitate ipsorum fratrum, & ne per repositionem elemosynarum hujusmodi in terra nos thesaurizare videamur, quem nec fur neque ergo demolunt, præ largitione acquiramus, Capitulum ipsum in aliquo commutari pro salubriori vita, & paupertatis observatione non indecens est; hæc propter necessaria tam Ecclesiæ, & ædificiorum reparationi, quam fratribus debite subventioni, & Legatis procuratis, mendicatis, & largitis pretio opus est, & statui nostro communiter convenit, ut dividantur, prius tamen singuli fratres notitiam elemosynarum habeant, ut fideliter orare valeant ad Dominum pro pia intentione donantium. Porro dicta elemosynæ per duos fratres capitulariter electos oblatorum, aut amicorum spiritualium ministerio in Ecclesiæ, ac fratrum usum juxta ordinationem correctorum, & Capituli provide convertentur; si verò fratribus de tegumentis & vite necessariis, aliisque, ut præfertur, rationabiliter provisus ex elemosinis annualibus, seu perpetuis aliquid super fuerit, per prædictos Rectores, & hujusmodi Officiales de consensu Capituli localis pie, & charitative in pias causas distribuatur; Correctoribus vero tempore sui correctoriatus non liceat extra Conventum exire, propter communitatem prædicare, aut confessiones secularium audire, nisi iuxta de causa, & hoc de consensu Capituli.

CAPITULUM IX.

De jejunio.

§.18. Cum jejunium corporale vitia comprimere, virtutes acquirere, demones effugare noscat, ideo Fratres Sanctam Quadragesimam à Quinquagesima incipientes juxta communem ordinationem Ecclesiæ usque ad Domini nostri Resurrectionem ceteraque jejunia observantes a festo omnium Sanctorum exclusivè usque ad Nativitatem Domini cum quartis & sextis feriis per anni circuitum jejunare solliciti sint octavis Paschæ, & Nativitatis

Christi, festisque infrascriptis, videlicet Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, diebusque communionum, si quarta feria occurrerint, exclusis: poterunt nihilominus Correctores super prædictis jejunis secundum Deum dispensare; in itinere autem fratres astringantur jejunio corporali, & ut efficacius omnis crapulæ tollatur occasio, aliquid comestibile, aut potabile in cellis suis tam Prælati, quam subditi nisi aquam, aut quid medicinale, & hoc de licentia correctoris tenere, nec ultra horam prandii solitam demptis infirmis, & majoribus absque Superioris licentia comedere minimè consuevimus: qui tamen diutino, & naturali languore laborant in jejniis, laboribus, & vigiliis charitative & fraternaliter supportentur. Ceterum fratres in domibus secularium, cum commode ad conventum suum redire potuerint, recumbere non debeant: tria tantum loca refectiois congrua, videlicet Refectorium pro sanis, refectarium pro hospitibus, infirmarium pro infirmis deputamus; necessitate tamen interveniente corrector cum senioribus de quodam loco pro fratribus ob Religionis onera fatigatis secundum Deum dispensare poterit.

CAPITULUM X.

De Capitalis, & electionibus Prælatorum.

§.20. Singuli Fratres unum ex Societatis fratribus triennalem patrem & correctorem, servumque omnium fratrum post prædictum Franciscum in Generalem habere teneantur. De triennio autem in triennium fiat electio Generalis, & Provincialium, quibus tres fratres timorati, & capitulariter electi in socios discretos deputentur, cum quibus ordinis negotia mature tractent; ipse autem Generalis Corrector Gregem sibi commissum diligenter visitet, quem si commode visitare non poterit, unus, vel plures Vicecorrectores, quia sic eos nuncupari volumus, unicuique si videbitur tribus locis deputatis ab eodem de sociorum suorum consilio eligantur; si etiam ex causa legitima Corrector Provincialis totam Provinciam visitare non possit, per Vicecorrectorem, ut prius succurratur. Dicti autem Visitatores seu Vicecorrectores nulla auctoritate, seu præminencia nisi missi in actu visitationum fungantur. Præterea in quolibet Capitulo generali poterit fieri electio alicujus fratris timorati, aut plurium, sicut propter nationum varietates expedire videbitur, qui in loco nostro Romano, nisi aliqua causa legitima obviet, residens pro negotiis Ordinis occurrentibus diligenter invigilet. In dicto autem Capitulo generali prænominati Correctores fidelitatem Ordini promittant: eandem promissionem coram Capitulo conventus faciant. Correctores vero generales & Provinciales officio suo triennali peracto sint triennio ad minus subditi; correctores vero locales singu-

singulis annis in Capitulo Provinciali murentur, & per annum ad minus subdantur; poterunt nihilominus Visitatores, & Correctores locales assumi in Provinciales, & Provinciales in Generalem correctorem. Insuper omnes tam Prælati, quam subditi in Capitulis Generalibus, aut aliis, vel extra a quibuscumque Statutis, aut ordinationibus novis contra hanc regulam & fortalium, & etiam aliis ab his, que, vel quas prædictus Franciscus de Paula ordinaverit, & in futurum sua durante vita auctoritate Apostolica ordinare, jam ordinata augere, aut diminuire poterit, summopere caveant, nec aliquas literas contra hanc regulam impetrare presument. Præterea petatur a Domino Papa unus de Venerabili Collegio Cardinalium, qui sit benignus, amator, & fautor hujus Religionis, & ut hæc regula melius observetur, quolibet mense, diebus Capitularibus coram fratribus in mensa Refectorii legatur, & vulgari lingua exponatur, vel ut melius videbitur.

§.21. Incipit Regula, seu modus vivendi Ter-tiariorum utriusque sexus. Fratris Francisci de Paula.

CAPITULUM I.

§.22. S I vis ad vitam ingredi, serva mandata, inquit Christus, quam obrem ab universis utriusque sexus fidelibus sub hac vita & regula Deo militare cupientibus, divina præcepta summopere sunt observanda, si frui voluerint vitam æterna. Vos igitur, qui hanc regulam intratis, unum Deum in Trinitate adorantes & super omnia diligentes, illi fideliter servite, & cor vestrum in eo sine reponite, nomen ejus Sanctissimum honorate, nec in vanum illud assumite, in mercantiis, & contractibus, & in cunctis dictis, & factis vos ipsos, proles vestras, servos, & ancillas ab omni juramento coercere curate, & dum fratres aut sorores nostræ Congregationis jurare audieritis, in charitate, & mansuetudine corripite, quia dicit Dominus, sit sermo vester, est, est, non, non: a maledictio, & omni convitio abstinete, non enim recedet malum ab eo, qui assuescit juramento, diem Dominicum, & Ecclesiæ Festa sanctificate, & in illis vos bonis operibus, & piis exercitiis, meditando, orando, legendo, Missas, divinum Officium, sermones audiendo dedicare Deo pro tempore satagite, Patrem, & Matrem tam temporalem, quam spiritua-lem correctorem, correctricem, & superiores, ac omnes Ecclesiasticos veluti Ministros, & dispensatores Misteriorum Dei, colite, & honorate, homicidium fugite, & cum, qui vobis subicitur in bonis operibus instruite, odium, rancorem, indignationem, appetitum vindictæ declinate, benedicite maledicentibus, & orate pro persequentibus vos; furtum, rapinam, usurarios, & illicitos contractus & omnem avaritiam reperite, si quid de alie-

no habetis restituite, quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

De divino Officio, & servitio defunctorum.

CAPITULUM II.

§.23. Primum querite Regnum Dei, & justitiam, ait Christus, sacrificantes igitur Deo sacrificium laudis pro immensis Beneficiis orationes devotas quotidie immolate, pro Matutino videlicet decem Pater noster, & totidem Ave Maria, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, & Nonâ pro qualibet illarum horarum, tria Pater noster, et tot Ave Maria, pro Vesperis septem, et pro completo novem. Et quoniam sancta et salubris est cogitatio pro defunctis, ut a peccatis absolvantur, quinque Pater noster, et totidem Ave Maria pro defunctis semel in die persolvite. In morte fratris Omnes fratres, et sorores illius Villæ, vel Oppidi ubicumque sepeliri contigerit, quos legitima causa non excuset, convenire habeant, & infra octo dies sequentes quinquaginta Pater noster, & tot Ave Maria pro decedente persolvere non omittant; idem faciant pro singulis fratribus nostris decedentibus in proximiori loco, ubi fratrum vel sororum congregatio habetur: in die commemorationis annuarum idem fiat pro omnibus defunctis: infra Sanctam Quadragesimam centum Pater noster & tot Ave Maria, infra Adventum Domini, & qualibet octavarum sequentium videlicet Pascha, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Virginis Mariæ, Sancti Michaelis, Nativitatis Domini triginta Pater noster & totidem Ave Maria persolvere pro Fratribus, & Sororibus, & omnibus defunctis summopere curent. In laudem Virginis Mariæ in exercitio suæ coronæ, quæ sexaginta tria Ave Maria, & septem Pater Noster continet maxime in diebus festis pro gratis diversis impetrandis, crebro se occupent, ad honorem Trinitatis, & Beatæ Mariæ Virginis, hii, qui legere noscunt, dicant Antiphonam de Trinitate, videlicet benedicta sit Sancta Trinitas &c. cum versu, Benedicamus Patrem &c., Responsorio, Laudemus, & superexaltemus &c. & Oratione, Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione &c.

De Confessione, & Communione faciendâ.

CAPITULUM III.

§.24. Quia Jesus Nazareus totus floridus, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum, in virtutum floribus delectatur, idcirco decori conscientie per confessionem Sacramentalem confessoribus per correctores Provinciales deputatis facere, filii charissimi non negligatis quater ad minus in anno, videlicet in Natalis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, ac Beatæ Virginis Mariæ Assumptionis festivitatis sal-